



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Canonum executionem ex pollicitatione exigimus. Pontifices Romani canones non posse infrigindi docent factis & scriptis; ut Innocentius I. in causa Chrysostomi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

habebitur, nisi consensu publico accedente. Præterquam quòd enim hæc novarum legum conditio, & præcipuè ecclesiasticarum, ut assensu eorum, quorum interest, probentur; id sibi præcipuè vendicat canonum reverentia, ut iis Pontifices Romani derogare velle non censeantur, etsi fortasse formulis rescripti ex stylo Curia aliter cautum sit. Hæc est enim innata Canonum & Decretorum conditio, ut perpetuò vim suam obtinere debeant, nec mutationibus illis subjaceant quæ in legibus secularibus sunt frequentissimæ, ob rerum mundanarum mobilitatem, ut loquar cum Innocentio primo. Tribus autem modis præcipuè antiquis legibus & canonibus derogari solet. Vel nova lege promulgata, quæ priorem abroget, vel dispensatione & venia legis, aut derogatione certo quodam casu alicui concessa, vel privilegio perpetuo indulto. Novæ leges ferri non debent, nisi magna & evidenti utilitate cogente: quia durum est ab eo jure quod diu æquum visum est recedere, ut dixit Vlpianus. Quod præcipuè locum habet in legibus ecclesiasticis, quæ à Spiritu sancto conditæ dicuntur à Leone primo. Quam ob causam venia quoque canonum non faciliè indulgenda est, nec dispensationibus privatis, nec privilegiis personalibus, aut perpetuis.

II. Itaque non agimus cum sede apostolica quasi cum potestate quadam certis regulis ita devincta ut eas nullo casu egredi possit; cum sciamus canonum dispensationem, cujus est in politia ecclesiastica frequentissimus usus, Summo Pontifici præcipuè conceditam. Sed, veluti ex pollicitatione, quam suis Decretis Canonum & Constitutionum executionem sponderrunt, à B. Petri successoribus cum debita reverentia exigimus. Quantum verò canonibus detulerint Romani Pontifices per omnes ætates, perpetuò & verbis & factis testati sunt; eademque opera libertates nostras inviolatas spondere visi sunt. Cujus rei in signe præbet exemplum Ioannis Chrysofomi contra canonum præscripta in synodo ad Quercum damnatio decreta ab Orientalibus Episcopis: cui & Innocentius I. & ceteri Italiae Episcopi consensum præbere noluerunt; quia quæ canonibus violatis peraguntur, rata esse non possunt. Vnde Occidentis & Orientis communio interrupta fuit ad tempus. Sed tandem Ioannis nomen in Diptycha Ecclesie relatam fuit, & restitutum inter Ecclesias Communionis consortium. Servandorum canonum studium eò Romanos impulit, ut fatius duxerint in specie proposita scissionem Ecclesie

Vide lib. 7. cap. 9.

perpeti quàm connivere ut canonibus aperta vis inferretur. *Nam longè præstiterit, inquit Innocentius in epistola ad Clerum Constantinopolitanum, vel ea condemnare, fratres carissimi, quæ rectè facta sunt, quàm ea robur ullum sortiri quæ adversus canones gesta sunt.*

III. Zozimus Pontifex Episcopis provincie Viennensis & Narbonensis secunda graviter exprobrat divisionem provincie Viennensis, quam contra patrum statuta tentaverant in Concilio Taurinensi. Etenim canone secundo certantibus de primatus honore Arelatensi & Viennensi Episcopis, à synodo definitum est ut qui ex eis probaret suam civitatem esse metropolim in laterculo Imperij, is totius provincie primatum etiam in rebus ecclesiasticis obtineret, & jura ordinationum juxta canones, interim verò, concordie & pacis causa, viciniore sibi quisque civitates intra provinciam vindicaret. Hanc Concilij temeritatem, quæ delatam ab apostolica sede jam olim Arelatensi Ecclesie potestatem subvertebat, Zozimus quidem Decreto suo repressit, & intermissum ordinem restituit; sed iis verbis usus est quæ ab Hincmaro, Ivone, & Gratiano adnotata sunt, ut constet Pontifices nolle sibi liberum esse antiqua decreta immutare: *Apud nos enim inconuulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta patrum sanxere reverentiam.* Idem testatum voluit Episcopis Africa, Gallie, & Hispanie, quid de hac re censeret. *Cum adversus patrum statuta venitur, non tantum illorum prudentie atque sententie qui in eorum victura sanxerunt, sed ipsi quodammodo fidei & catholice discipline irrogatur injuria. Quid enim tam sanctum ac venerabile est, quàm penitus non exorbitare ab itinere majorum, quorum canonica instituta velut quedam fundamenta sunt, ferendis fidei jacta ponderibus?* Bonifacij par cura fuit anno **CDXXXII.** in evertenda Patrocli Arelatensis Episcopi præsumptione, qui Lutubensi Ecclesie, prætermisso Metropolitano, Episcopum ordinarat contra patrum regulas: *Quod nequaquam possumus ferre patienter, inquit, quia convenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes.*

IV. Sed illustrius testimonium proferri non potest quàm id quod è variis Leonis Papæ epistolis petitur, cum de Concilij Chalcedonensis confirmando canone **XXVI.** quæstio incidisset: de qua paulò uberius dicendum est, ut hinc etiam primatus Romani Pontificis adversus Novatorum ludificationes asseratur. Sed ante omnia, controversie status constituendus est.

Ep. Innoc. 1. ad
Sorum lib. 1. c. 1.
cap. 1. c. 1. c. 1.
cap. 1. c. 1. c. 1.
cap. 1. c. 1. c. 1.
cap. 1. c. 1. c. 1.
cap. 1. c. 1. c. 1.

Conc. Taurin.
anno 1577.

Vide epistolam
Marci ad illu-
strum, editam in
Prolegomenis ad
historiam ecclesie
Eusebio.

Anno 477.
Zozimus ep. 7.
Ivo P. 4. c. 111.
Grat. 11. q. 112.
concl.

Vide Althimam
ad cap. 11. lib.
1. c. 1.

Zozim. ep. 6. ad
Aurelianum.

Bonif. ep. 4. ad
Hilariam ep. 1.
bon.